



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Svpremi Castellæ n. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

## CLASSIS V.

## AB INQVISITORIBVS.

I. \* **A**SUPREMIS CASTELLÆ Ex decreto eorumdem sacrae fidei Quæsitorum in vniuerso Hispaniarum Regis Imperio, cum igni publico in foro damnati fuissent Satyrici, quos in Societatem IESV ac eius Institutum, & viros effuderant Mag. Franciscus Roales aliquique anonymi typis, sed incertis, presso locorum ac Auctorum simul nomine dati libelli, ac ad id re præstandum dies indicta: ubi ea affulsi, & quidem Apostolorum Principibus sacra 29. Jun. 1634. prono ad Occasum iam sole, solemnis equitatus instructus ex more precedente non sine maximo circumquaque strepentium tubarum ac tympanorum clangore eiusdem senatus vexillo, deducebant quadrupedem purpureo oloserico insulatam, arcaque onustam sat magna, flammulis in gyrum depictis infecta, ubi spurca illa nequissimorum librorum deliramenta conclusa. Itum per frequentissimas Matritanae Aulae vias, effundentibus se ad spectandum unde quaque confertim populis, usque dum ad indictum in foro primario locum, ubi iam Babylonica dixerim fornacis amula flamma succensa, ventum est, ut ibi consisteretur. Tunc demum idem quod dum initium pompa factum fuerat præconis voce relectum Senatus Decretum, sen minus in hac verba, in hanc omnino sententiam. Notum sit omnibus, quod cum per hos dies sacro Quæsitorum Senatui ianotuerit ab impostoribus, licet plerisq; anonymis in lucem editos, sed flâmis deuotos famosos in Societatem IESV libellos omni imposturarum genere suffarcinatos, quibus Ordo Religiosissimus, eiusque Institutum falso carpitur, acsi politici, nec pijs regiminis iura condiceret, in piorum perniciem edocenda, leges sanciret tam Religioso Ordine, imo Christiano quouis homine indignas, ideoque cum ipsis Religiosis in ordinem redigendas, idque præstitum ab eiusmodi veteratoribus, qui vespertilionum more in ipsa luce cæcutiunt, ut tanti

*Ordo reli-*  
*gioſiſſimus;*  
*cuius cla-*  
*ritas ob-*  
*nubi ne-*  
*quit fine*  
*Cath. Ec-*  
*cleſie de-*  
*trimento,*

Ordinis claritatem obnubant, eique plausum, quo hactenus eius viri excepti, adimant, & euertant non sine Catholice Ecclesiae, cui diuino obsequentes Numini Societatis viri praefto semper adsunt, & adfuerunt hactenus detrimento. Cum ijdem Quæstores poenas ex ignotis, aut profugis Auctobibus reposcere nequaquam possint, eosdem censuerunt in suis eorum scriptis luculentius puniendos. Quamobrem septimo Idus Martias mandauit pleno senatus consulto, hoc anno publicis addictos flammis carnifice eos in ignem mitente comburi libellos, quibus singulares, & secretas admonitiones &c. Item Auisos secretos alos bien entendidos, &c.

*Viros ha-  
bet omni  
Sanctitate  
conficiens:  
ac de Chri-  
stiana Rep.  
bene me-  
rentes.*

Demum Magistri Francisci Roales, &c. Tituli, & inscriptio-nes appositæ, vt qui calumniarum, mendatorumque plenissimi, contra Ordinem, virosque omni Sanctitate conspi-cuos, ac de Christiana Republica benemerentes, cui toti perpetuis perennibusque in dies singulos obsequiorum incrementis insistunt: quod ut omnibus innotescat, præconis voce præcipitur nunciari. *Vix præco hæc absoluit in foro non procul à flamma succensa cum Carnifex arcam deponit, aperit, & libellos omnes, ac demum arcam ipsam flammis commendat; nec enim aliam commendationem emerita eiusmodi Catholicorum (si tamen reipsa quisquam eorum (catholicus) calamorum inquinamenta. Pom-pa, inde ad D. Thomæ Aquinatis ædem eodem processit ordine, ibi-que reposito vexillo, ad sua quisque reuersus, Societate luculentissimè ab impostorum calumnijs vindicata. Hoc summatim sacrorum Quæ-sitorum Decretum ex Hispano idiomate latinè redditum, & Ma-triti publicatum die 29. Jun. ann. 1634.*

*Defensa  
contra ma-  
tēdicos.*

*Eius Insti-  
tutū Apost.  
Sedi accep-  
tissimum: Ec-  
clesia lau-  
datissimum.*

2. \* AB HISPALENSIBVS : Qui Vulgato Edicto que-  
cumque ad Societatis IESV encomia, & indemnitatem pertinent,  
paucissimis licet verbis, quibus oblitrantium lucifugarum verbera-  
ta procacitas, luculentissime edixerunt; Sanctissimum eius Institutum Apostolicæ Sedi acceptissimum, Ecclesiæque Vniuersæ laudatissimum, tum ex plurimorum Pontificum diplomati-  
bus, tum ex Tridentini Concilij Oraculis. Hispani sacro velut  
è tripode